112
298

# Iacobi Curtii

## BRVGENSIS

IVRISCONSVLTI

εἰκαστῶν (id eſt coniecturalium) Iuris Ciuilis, ad Curtium Fratrem Lib. III.

Othomanus
Vsuris

· BIBLIOTECA UNIVERSITARIA · SALAMANCA ·

ANTVERPIÆ,
In ædibus Ioan. Steelſii.
M. D. L.

Cum Gratia & Priuilegio.

# Iac. Curtius

## IOH. CVRTIO

### Fratri S.

EQVIDEM, haud neſcius ſum Frater, permiſſa tibi Operis huius editione, duarum rerum ſubeundam mihi eſſe accuſationem. Vnius, quaſi nominis cupiditate, & quo nouitas mea hoc facto inclareſceret: impudentius q̃ conſultius cogitationes meas, quas ſatis fuiſſet, intra priuatos parietes cum amico miſcere, publicauerim. Alterius, tanquã infirmitatis meæ mihi conſcius, aut mobilitate ingenii, circa minutiora hæc hæreſim, quæ nullam maiorem rerum expoſitionẽ, aut partium diſtributionem exigant, ſed ſingulis capitibus abſoluta, velut priori cogitatione feſſum & diuturnæ contẽplationi imparem, ad nouam inſpectionem ſtatim dimittant. Nec ego, ſi meum eſſet illud exemplum, nec mihi cum omnibus qui diligentiam ſuam orbi teſtatam faciunt commune crimen, nõ latius copioſiusq́; in defenſione aut purgatione eius verſarer. Nunc rem nõ

# Iacobi Curtij

## BRVGENSIS IVRIS-CONSVLTI ΕἸΚΑΣΤΩΝ

### ad Fratrem

### LIBER PRIMVS.

SI quid eſt aliud, in quo ſim reprehendendus: at illud profectò non commiſi, vt ipſe me anxiè ac moleſtè, dum operi meo titulum quæro, vexarem: quanquam non dubitat quiſquam, vel ſolo tituli lenocinio, plerosque ad legẽdum rapi. Nam Græcæ inſcriptionis nouitas, qua tanquam ad peregrinitatem, Ius Romanum vulgus redigi putat, iamprìdem tam Veterum quàm Recẽtiorum exemplo, non tantum excuſationem ſed defenſionem quoque habere cœpit. Itaque nec mihi verendum, ne veluti noua re turbatus ac cõmotus quiſquã, ad lectum titulum ſtatim in vocem erumpat, vt plærunque ſolẽt: & contracta nare εἰρωνευόμενος exclamet: Quis iſte, cui datum eſt οἴῳ πεπνῦσθαι? Porrò, cum ea, quæ tradere hic paro, talia ſint, vt in plæriſque, quod negare non poſſum, coactus ſim εἰκάζειν, ſimul quod eadem pro cer